

in præcedenti casu operaberis. ¶ Si uero centrum medium plus 120. grad. fuerit, minus tamen semicirculo. Ipso, ex semicirculo subtracto, residui chordam accipe, quam in ecentricitatem multiplica, & productum per sinum totum diuide, quod uero exhibet seruandum est. Item à centro medio cum sui medietate semicirculum deme, & eius qui remanserit arcus sinum primum addisce atque secundum. Demum utrumque eorum per prius seruatum multiplica, & utrumque productum per sinum totum diuide. Quod itaque per sinum primum exhibet in se ductum, à quadrato semidiametri minue, & à radice residui id

quod per sinum secundum exiuit abijce. Relinquetur enim distantia centri epicycli à centro æquantis, cum qua ut in quinto casu procede. Habes igitur centri æquationes ad semicirculos absolutas. Argumentorum uero æquationes in Mercurio sicut in reliquis elaborabis. Minuta quoque proportionalia sicut alibi. Verum æquationes argumentorum, quas in tabula scribi conuenit, fiant ac si centrum epicycli sit in mediocri eius à centro mundi distantia, dum, scilicet ab auge æquantis per 60. ferè gradus distat. Hæc de angulorum diuersitatibus breuiter perstringere libuit.

Libri undecimi Epitomatis finis.

CL. PTOLEMAEI

ALEXANDRINI, IOAN. DE MONTE REGIO, SPECULATIONES ampliores, circa Passionem Planetarum diuersam: Progressum, uidelicet, Stationem, & Regressum. Variationes nonnullas in longitudinem motus epicyclorum gratia accidentes, lucidissime discernit. Liber XII.

Si Planetis altioribus unicam posueris diuersitatem, epicyclus in concentrico, aut ecentricus sine epicyclo eidem sufficiens erit occasio. Propositio I.



Diuersitati quæ Soli colligata est intellige. Ponamus itaque quod motus epicycli in cōcentrico, & motus Planetæ in epicyclo collecti æquentur medio motui Solis, quæ admodum superius ostensa postulant. Ecentrici uero cētrum, moueatur ad successionem signorum æque uelociter cum Sole, & Planeta ipse similiter ea uelocitate procedat, qua epicyclus in con-

centrico. Eius quidem medium locum determinet linea à centro mundi ducta, æquidistanter lineæ exeunti, à centro ecentrici per centrum Planetæ. Sit igitur circulus mundo concentricus A B G super centro F, & sit punctus A, in quo fuit centrum epicycli, dum Planeta fuit in auge epicycli, scilicet, puncto D, dumque Sol medio cursu coniunctus fuit Planetæ, & punctus H fuit centrum ecentrici. ¶ Nunc uero epicyclus sit super puncto B, & Planeta in epicyclo super puncto